

Q.K.352,50.



FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI
SENIOR ET H. T
DECANVS
GEORGIVS AVGVSTVS
LANGGVTH D
PATHOL. ET CHIRVRG. P. P. O
PANEGYRIN MEDICAM
AD D. IX. MAII. CIO ID CC LXIV
H. L. Q. C
HABENDAM
INDICIT
DE
INCREMENTIS FVTVRI POPVLT
PRAEFATVS



2 VILL O E C
ENCKTANHEZVIGRÖS
GÖTTÖSÖN J
O SÖNDE RÖTTÖS
AMIG DÄNÖRÖS
VÄLÖDÖPÖRÖS
DÖRÖS
HÄCKESE
TIVIKI
CC
LIVEGÖT LIVET TÖÖMÖLÖM
SYÄTÄLLÖ



Q. B. V.

Subita sane fuerunt ac mirabilissima, sed non laeta omnino, futuri incrementa populi, quae Deucalion quondam cum sua Pyrrha, Cadmusque, Thebarum deinceps conditor, ut fabulose poëta *) cecinit, conspexere. Et illi quidem, post vniuersae terrae in aquas conuerzionem, vniica relictæ hominum exempla, iactis sua post vestigia magnæ parentis ossibus; hic autem, letatis a Martio angue exsiliis comitibus, motæ terræ dentes supponens vipereos: utriusque, fauricium Dearum monitis artem, edocti, generis humani damna breuissimis reparandi momentis. Evidem nos, sapienter tandem soluto grauissimo septem annorum, eoque crudelissime gesto, bello, nunc sapere et ad frugem redire audentes, iam subita, neutiquam, aut monstrosa, anhelamus futuri populi incrementa, sed prospere tamen et conuenienter naturae succedentia, prorsumque laetiora. Quid grauius enim putemus ferendum, quid lacrymandum magis experiamur, quam funditus euersas nostras, quam depopulatas, prouincias, tot centenis millibus incolarum, aut omnino trucidatis, aut mutilatis plurimum, aut ad aeternas seruitutes, omnium miseriarum complementum, inhumanissime abstractis? Possumus omnibus rebus aliis facilius carere, defectus illarum aliunde supplere, aut citius tamen illas reparare: sed hominum iactura est omnium funestissima, et plurimum saepe seculo-

* 2

rum

*) OVID. *Metam.* I. 318. seqq. III. 101. seqq.



rum decursu resarcienda aegrius. Quid? quod omnis prope annonae difficultas maximam partem, ultimoque, hominum debetur infrequentiae, manuumque laborantium defectui. Nullum igitur capiendum est prius, nullum acrius agitandum, consilium, quam, quo praesentis populi conseruetur, augeaturque, numerus, futuri autem incrementis modis omnibus prospiciatur.

Cui mutantri patriae salutis quem ad modum variis, blandioribus, aceroribusque, subueniendam est remediis, ipsaque Themidis Palladisque artes in subsidii societatem aduocandae sunt, exempla nobis Deucalione, ut vidimus, Cadmoque, praeeuntibus: sic Apollineis operantes arribus, de re praesenti vel maxime esse audiendos, nec, quod sani solemus facere, monita eorum delicate fastidienda, nemo iuerit inficias. Qua spe freti, hoc idoneo loco nostras quoque nos conferemus symbolas, iis, quae ad populum praesentem pertinent, generatim praemissis, futuri populi rationem cum primis habitiuri.

Ante omnia igitur, quum fortes creentur fortibus, nec feroce aquilas imbellis generent columbae, in id videtur elaborandum strenue, ut ciuium, futurorum parentum, salus, corporis animique sanitas, in tuto collocetur, et, quidquid ipsi possit esse offensioni, procul remoueatur: ne progeniem mox daturi sint ipsis sibi vitiosorem. Cuius prouisionis, curaeque prophylacticae, tanto maior esse cernitur necessitas, quo plures caussae, ad viramque hanc sanitatem, infirmandam ac labefactandam, hactenus concurrerunt, atque etiamnum concurrunt; quas, omni numero fideque maiores, praestat, silentio premere, si que possit fieri, ex animis hominumque memoria penitus eradicare. Non illas autem esse imaginarias,



narias, sed longe potentissimas, satis esse documento poterunt variis illi, hue dum populariter grassantes, plurimum anomali, et a suo genio recedentes, morbi, torque subitae, inopinae, et publicos adeo luctus adferentes, acerbae mortes, funestique, leuiorum etiam visorum, morborum exitus. Scilicet affluit nos, ceu lenti rabe veneni, exitiale bellum, longe lateque dispersum; vtque Martius ille anguis, toto corpore veneno tumens, Cadimi comites: sic halitu suo nigro nos et auras infecit nostras, vt plerique omnes corpora nunc circumferamus, languida, pristino destituta vigore, disposita igitur ad recipiendas facile omnis generis aegritudines, mediocribus etiam, rotiesque superatis ante, malis, crescente metu, fatiscente animo, tanto facilius, tanto certius, succubitura. Quibus disponentibus, et occultum in visceribus virus, paullatim euoluentibus, caussis, quot non accedunt continuo manifestae caussae, aegritudines, molestiae, moerores, meliorum desperationes temporum, animos exedentes, curisque conficientes, et partem ullam liquidae liberaeque voluptatis vt gustare possimus, impeditentes! Atqui his vnica, a coelesti consolatione si discesceris, sed efficacissima, opponi medicina potest, quam CICERO *) nobis hac praescribit formula: *Vt enim, cum cibo et potionе famе sitisque depulsa est, ipsa detractio molestiae consecutionem adfere voluptatis: sic, in omni re, doloris amolitio successivam voluptatis efficit.* Tam spectatae virtutis remedium nostris in officinis non prostat.

Vt caussae istae, partem physicae, partem morales, spes pulchras inchoare, et legitima festinare connubia, prohibent; quo ipso futuri incrementa populi sua natura magnopere retardantur: sic tanto dolendum magis est, sin, ad vota, iam susceptra proles, laeteque adolescens iuuentus, breuis vitae sortitur

* 3

spatium,

*) De Finib. bon. et mal. I. 13.



spatium, et dira rapitur morborum tyrannide. Quot acerbis enim infantum funeribus, singulis annis, ingemiscendum est? Quantus eorum numerus, ex denitione difficulti, male iudicata conuulsionum caussa, morbillis, variolis, denique, verissima illa tenerae aetatis adolescentiumque peste, die non suo extinguitur, et, quas modo acceperat, auras, iterum exspirat? Habemus saepenumero, quare de nostris conqueramur infortuniis, si quod malum, non sua natura, sed casu fortuito, sed ex accidente, quod dicitur, omni arte nostra plus tandem valere experimur; quorum modorum numerosa tamen est varietas. Augetur conquerendi argumentum, sin eius modi curandus nobis offertur morbus, qui vtique sua natura, vulgo non intellecta, sonticus, periculosus, malignus, suo iam nomine inuisus ac terribilis, est; qui omnem assiditatem artemque eludit, omni virtute remediiorum maior, per raro curatur, plerosque omnes frequenter iugulat. At, longe peius nos habeat, oportet, vbi, veluti ex voluntate aegrotantium, aut adstantium consiliatorum nutu ac sapientia, perperam facere medicinam cogimur; vbi spectatissimae, praesentissimae, virtutis remedia respuuntur, reiiciuntur; vbi medendi methodus, a more maiorum, a recepta doctrina, et praeiudicatis opinionibus, recedens forsan, inuidiose perstringitur, in suspicionem adducitur, ad orcum omnino proscriptitur damnaturque. Quis non miretur, imo quis non dolenter potius ferat, in puerili aetate, venaelectionem, vt hoc vtar, nimium timeri adhuc? quam toties tamen, in denitione difficulti, grauissimis stipata conuulsionibus, miraculi instar, praesentaneam, diuinam, tulisse opem, expertus confirmat SYDENHAMVS, grauissimus auctor. Quis est, qui neget, vt hic, sic in variolis quoque, saepe hanc indicari sanguinis ventilationem; in his, aliisque id genus morbis, anomorum, opiatorum, haud raro requiri virtutem, enematum

adpli-

adlicationem summe deprehendi necessariam? Quae illa res est, quae cuiusquam animum in hac caussa dubium facere possit? Nihil tamen secius, saepe multumque uidimus, audiuiusque, saepe deinceps audituri, haec cane peius ac angue vitari, hocque praetexru, ne fatum dicatur praeципitatum, ineuitabili, funestoque suo fato relictos fuisse, seruandos vtique, quam plurimos infantes. Quod, proh dolor! quotidie, sed impune fit, cum maximo rei publicae detimento. At, quanto maiores ac numerosiores publice conquerendi caussas, his diebus nacti sumus, quibus vidimus, non sine lacrymis ac iusta indignatione, grassante variolarum satis benigno licet genere, tot infantum tamen elata densataque funera, non morbi extinctorum malignitate, non artis quadam impotentia, sed aut calidissimis remediis ac regimine, contra toties repetita candidissima consilia ac monita, amicas etiam obiurgationes, violenta quasi manu, peremtorum, aut turpiter neglectorum prorsus, artis periti consilio auxilioue, siue omnino non, siue nimium tarde, flagitato! Indolentia, profecto, pertinacia, animorumque duries, sine pari, antiqua illa, et ante bellum quandoque notata, nunc multum adauctior, publica animaduersione ac vituperatione dignissima! Proprie dixeris de huius farinae parentibus, quod festiuē admodum de Deucalionea illa, ex duro filice suscepta, prosapia, tanquam de suis maioribus, poëta: *)

*Inde genus durum sumus,
Et documenta damus, qua simus origine nati.*

Vt ingenue fatear, nullum noui potentius remedium, quo certius promoueatur futuri populi incrementum; quo iam natae, succrescentique, in spem patriae iuuentuti, melius in vitae prorogationem ac longitudinem consulatur, quam primarium hunc, haic aetati infensissimum, hostem suo gladio iugulandi, nunc

*) Metam. I. 414.



nunc factam nobis, asserramque, opportunitatem. Habeo variolas certissimum, tutissimum, variolarum remedium; habeoque, donec tam prosperis, et fidem fere superantibus, successibus stipabitur; donec experientia, alterum artis nostrae fulcrum, ipsius alterius, rationis, fundamentum permanebit. Nihil moueor rationibus, quae aliunde de promuntur, quam ex ipso fundo nostro, quam ex principiis physicis ac observationibus medicis. Viderint illi, qui inoculationem variolarum, operationem chirurgicam, alienis adgrediuntur armis, quo suas, quas faciunt, μελάθασες οἵ ἄλλο γένος, suas accidentis fallacias, Dialecticis excusent. Inter partes philosophiae, morales quas dicunt ac naturales, vera non potest esse repugnantia. Innititur variolarum insitio summo probabilitatis gradui, ad fastigium demonstrationis, ad certitudinem, qui proxime adsurgit; in quo possumus secure acquiescere; in quo omnes, artis experimenta facientes, alias ubique acquiescimus. *Opinionum commenta*, quod CICERONIS *) est iudicium, *delet debetque dies, naturae iudicia confirmat atque confirmabit.*

Proxime coniungenda est, cum hac morborum virulentia, scelestissima illa et execrabilis hominum, matrumque praesertim impiissimarum, saevitia, qua non tantum vitae prolis, in utero necandae, insidiantur, sed ipsi nunc in lucem prodire paranti, impubique eius corpori, quale posset impia Thracum mouere pectora, sanguinolentas manus mox iniiciunt, vitamque inuite-daram, ipsi iterum longe scelestiores eripiunt. Quum dulcius nihil hominum generi a natura datum sit, quam sui cuique liberi; quumque ferae bestiae pro suo partu ita propugnare soleant, ut vulnera excipient, vi nullos imperus, nullos ictus, formident: **) dubitari omnino de tam nefandi crimini perpetratione posset, nisi tot numerosa infanticidiorum exempla continuo intercederent, multo pluribus, quod facile coniici-

*) De Nat. Deor. II. 2

**) Cic. Qu. Tuscul. V. 27.

coniicitur, iniecta humo, vltoris cognitioni manuique subtrahitis. Nullam legem contra parricidas SOLOREM tulisse, διατάξει πέπτου, quia hominem tam atrox umquam facinus audere posse desperasset, accepimus; *) soleisque alias impunitatis spes maxima saepe esse peccandi illecebra: **) at nostris in hominibus hos rabidos compescere mores, hunc animorum furorem, hanc immanem crudelitatem, neque ultima poena, toties statuta et repetita, reprimere potest. Sed, quid mirum? Non est timor diuturnus magister officii; et, quid faciet is homo in tenebris, recte rogat CICERO, *** qui nihil timet, nisi testem et iudicem? Quam igitur esset opificiale, ut religione, ut patriae amore, ducti ac compulsi tandem, praeclara sapientissimorum populorum instituta aliquando imitemur, et κορόνοφεια, hoc est, eiusmodi hospitia instituamus, in quibus derelicti a parentibus infantes, viuique expositi, publicis alendi sumtibus, excipientur; totque adeo violentae mortes, totque sumenda ab infanticidis ultima supplicia, avertantur; quod patriae multis praeterea nominibus salutare ficeret, et populi futuri incrementum mirifice iuuaret.

Haec omnia tamen consilia atque instituta, promouendo futuri populi incremento satis in se idonea, facileque parabilia, longissimis post se interuallis relinquere videtur ipsum artis obstetriciae incrementum, ut turpiter hactenus neglectum, sic tanto diligentius et quibuscumque demum modis ac impensis, prouehendum, ac suo appropinquandum fastigio. Nullis haec caussa argumentis indiget, quum sit proh dolor! plus satis evidens, et ab omnibus iam diu in piis habeatur desideriis, fundi huius nostri calamitatem, cum reipublicae pernicie adeo coniunctam, scientibus lacrymantibusque. Quumque maioribus ac summis hic opus sit auspiciis, spesque affulgeat, non omnino nulla, etiam his patriae desideriis ac precibus suo tempore ac modo sapienter occursum iri, nihil est, cur caussae

**) CIC. pro Milon, c. 16.

*) DIOPEN. LAERT. in Vita.

***) ID. de Legib. c. 14.



causae huic peroratae vterius inhaeret, et manus quasi obstetricantes ipsi commodem. Donec igitur publicae scholae erudiendis obstetricibus aperiantur, grauidarumque ac puerarum demortua corpora, renouatae legis auctoritate, cerebrius inspiciantur, praeter institutiones huius artis, ex aliquo tempore in lucem emissas, *Virorum Clarissimorum, Roedereri, Thebesii, Henkelli,* nostra eruditorum et vernacula lingua doce pleneque conscriptas, equidem optarem in primis euolui ab literatis et Magistratibus, diligenterque legi, Medici obstetricii Batauini, doctissimi, candidissimique, *Henricia De Venter, Operationum chirurgicarum, nouum lumen exhibenium obstetricantibus,* Partem alteram, *Lapidem Lydium et Clypeum Obstetricum complexam;* vbi simul agitur de necessitate inspi ciendi cadavera mulierum, in partu defunctorum, non enixa fetu, ut appareat, an obsterix causa fuerit clavis matris et fetus. Nullus enim dubito, quin, auctoritate et grauitate magni huius in arte sua, et egregie cordati, viri, quamplurimi suo ex veterno excitentur, nostris monitis ac consiliis lubenter accedant, tantoque ardentius, promoto artis huius incremento, ipsi quoque futuri populi incremento efficaciter consulere ac patrocinari festinent.

Idem hoc nobiscum et cum bonis omnibus, quibus patriae communis salus, vitaque et prospera valetudo praesentis ac futuri populi, curae cordique est, vehementer optat,

VIR NOBILISSIMVS ATQVE DOCTISSIMVS
CHRISTIANVS FRIEDERICVS OTTO
GROSS - MILCKAVIENSIS

MEDICINAE CANDIDATVS DIGNISSIMVS
qui, hoc cum primis consilio, ut omni arti nostrae, sic obstetriciae non minus, exquisitas nactus opportunitates, diligentissimam nauavit operam, utramque, quod bene ipsi feliciterque cedat, deinceps coniuncturus ac ornaturus. Cuius quidem virae ac studiorum rationes haec tabula, L. B. pluribus Tibi exponit:

Ego

Ego CHRISTIANVS FRIDERICVS OTTO, in vico Gross-
 milkau prope Rochlitzum A. R. S. cl^o b^o CCXXXV. e parente
 integerrimo IOANNE GOTTLIEB OTTO, eiusdem loci Ludimagi-
 stro, et matre honesta, IOANNA DOROTHEA HOFFMANNIA,
 natus sum. Qui optimi parentes, non minus exemplis, quam do-
 ctrina, pietatem atque bonos mores soliciissime animo informantes,
 tantum in me educando posuere curam, ut horum fidem nullis unquam
 satis praedicare possim praeconiis. Inter eos, quibus post parentes
 gratissimam debo mentem, primum obtinet locum Vir plurimum
 reuerendus, M. WERNERV^S, sacri, qui Christo colligitur, coetus
 Grossmilkauiensis pastur meritisimus, quem in primis studiorum
 meorum auctorem colo atque veneror. Institutioni virorum clariss.
 GERLACHII, cuius singularis in me amoris memoriam nunquam
 non retinebo; NEVNHOEFFERI et PÜTSCHELII, in schola Rochli-
 zensi praceptorum fidelissimorum, solidae tum radius fui. Ao.
 1747. ad scholam, quae Chemnitii floret, dimissus, sub pracepto-
 ribus, ad cineres usque deuenerandis, KREBSIO et HAGERO, in literas,
 quae ab humanitatae nomen habent, incubui. Hinc ad altiora edis-
 cenda animum adcingens ao. 1754. Vitembergam me contuli; Ibi
 denique a Magnifico LANGGVTHIO ciuium academicorum numero ad-
 scriptus dum fui, praecipua cura in philosophicis versabatur mea,
 in quibus imbiendis Cel. HILLERYM habui ducem. Tum et simul Vi-
 rorum summe venerabilium, HOFMANNI et WEICKHMANNI, cui et nunc
 noua atque peculiari benevolentia obstrictus sum, theologicis interfui
 lectionibus. Verum me recondito quodam ad medicinam insinu-
 adlici cum sentirem, auspiciis prouidentiae diuinae me huic totus
 dedi studio. A mathesi igitur et physica incipiens, B. WEIDLERI et
 BOSII, cathedras accessi. Rem Herbariom, Physiologiam, ut et Osteo-
 logiam ab Exper. BOEHMERO edocitus sum, et ex ore Exper. LANGGV-
 THII Physiologiam et Pathologiam accepi; quos et praecettores fidelis-
 simos et patronos optimos sum expertus. Studia tum ulterius exco-
 lendi gratia ad celeberrimam Lipsiensium universitatem accessi,
 cum Magnif. CRVSIVS Academiae teneret fasces. Hic scholas virorum
 Cell. GELLERTI, WINKLERI, BOSII, PLAZII, QVELMALZII, HUNDERTMAR-
 KII et LUDWIGII frequentavi. A. 1757. Goettingam petii, ubi ex institu-
 tione Cell. ZINNII, HOLLMANNI, ROEDERERI, BRENDELII et RICHTERI
 profeci.

QK MU 1175

x 36846

profeci. Tum perdurante bello, patriam tunc deuastante, securiorem atque faciliorem studii meis cum quaererem locum, Argentoratum concessi, diuina ductus providentia; ubi quinque fere per annos, insigni Patronorum beneficentia ac liberalitate, suffulto, studiorum cursu mi- nore cum difficultate continuare mibi licuit. Inter permulcos, qui me suo ornarunt patrocinio atque beneficio, eminent Viri illi. atque Excell. STOEBERVS, SILBERRADIVS, SCHOEPFLINVS, a DIETRICH, BERNARDVS tum fidelissimi in omni Medicina praeceptores: BOECLERI, SACHSIUS, SPIEL- MANNVS et PFEFFINGERVS; prae omnibus vero venerabilis senex, Cel. FRID. in artis obsteiriciae tam theoria quam praxi versatissimus dexterrimusque, qui me studiis, institutione fidi et consiliis, non solum iuvans saluberrimis, sed etiam singulari munificentia egestati occurrens, sibi me ita obstrinxit, ut nunquam gratias sat agere, habere aut reddere, possem. In Xenodochiis Argentiensibus multum atque mulum sum versatus, et in clinicis et in chirurgicis, ducibus usus FRID, SACHS, GVERIN, PARIS, LERICHE, cet. Practicis et Chirurgis felicissimis, multa dignissimaque notata vidi et obseruauui. Tandem feli- citer in patriam redax factus, ad summos in Arie adspicans hono- res, iam Mensa Ianuario huius anni nomen meum apud Inlycam Facultatem Medicam professus sum, impetrataque Principali venia, Inauguralem Dissertationem a me conscriptam, sine Praefide defendendi, Wittenbergam reuersus, die XXX. Aprilis consuetum pro Can- didatura examen subii, in numerum Candidatorum deinceps receptus.

Huic igitur solemnitati ab Ordine nostro dictus est dies XI. Mens. Maii, quo, auspiciis diuinis, sine Praefide, Dissertationem Inauguralem, de Pro- cidentiis Vterinis, in Auditorio maiore, horis ante et post meridiem con- suetis, cum laude, quod certi confidimus, ruerbitur. Quam ob rem vos, RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PATRES CONSCRIPTI, ANTI-TITES OMNIVM ORDINVM SPECTATISSIMI, COMMILITONES item GENEROSIS- SIMI NOBILISSIMIQUE, qua decet, obseruantia et humanitate rogatos volumus, ut hanc Panegyrin frequentes fauentesque ornare benebole velitis.

P. P. in Acad. Wittenbergensi, die XXX. Aprilis, A. R. S. c. 15 10 CCLXIV.

EX OFFICINA GERDESIANA.

VD 18



A.K. 352,50.

Hu
1175

FACVLTATIS MEDICAE
IN ACADEMIA VVITTENBERGENSI
SENIOR ET H. T
DECANVS

VGVSTVS
TH D

RG. P. P. O

MEDICAM

10 11 CC LXIV

C

A M

F

TVRI POPVLT

V S

RECCA
IANA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE (SAALE)

